







177

1
1

2

3

4

5

6



1707.

1. Bienen, Adrianus, Collegii Juridici decanus: De incogitabilis: Programm (lectioni auspicali Enjre Pfaustel praemissum).
- 2^o Beun, Matth. Nicol.: De poena conventionali maxime in matrimonialibus. 2^o suppl. 1707: 1751.
3. Bruckner, Guil Hieronymus, Collegii Juridici decanus: ad lectionem cursivam Bernhardi Sulphri Fusii invitat.
4. Bruckner, Guilielmus Hieronymus: De differentiis processus criminalis accusatorii et inquisitorii
5. Bruckner, Guil. Hieronymus, Fac. Juridicae decanus: De contestis Erfurtensi, cuius in jure Casusico e. 2. cas. 15. qn. 4. fit mentio. Programm, lectioni cursivae Johannis Gallitzi Goessing praemissum.
6. Bruckner, Guilielmus Hieronymus: De differentiis process. torii ordinarii et summarissimi.

1707.

7. Bruckner, Guib. Hieronymus, Fac. jur. Decanus: Fac-
tabilia et odiosa juris, potissimum quemadmodum
illa interpretanda, haec restringenda veniant. Pro-
gramma, lectioni cursoriae Johannis Philippii Matthiae
praemissum.

8^{a, b, c} Bruckner, Guib. Hieronymus, Decanus Fac. jur. Dec.
14

De confiscatione honorum in delictis. Programma,
lectioni cursoriae Johannis Schmidlin praemissum.

3 exempl. 1707, 1735 & 1753. Ed. 1755. accert. An

homicidium atque animus necandi sit capitale?
Et unde probetur is animus?

9. Bruckner, Guib. Hieronymus, Prodecanus Fac. jur. Dec. 16

De obligatione pactorum nudorum juxta jus civile

— Programma, lectioni cursoriae Johanni Wol-
helm Thilo praemissum.

10. Fries, Jo.: De falsis et rationibus legum Mosai-
carum generalibus.

1767.

11. Friesen, Johann Bernhardus: De emptione venditione
donationis causa.
- 12^a Gerhardus, Ephraimus: De lege Julia Caninia a
Fribiniens sublatâ. 2 Exempl.
13. Hummel, Christophorus Augustus: De miraculis Ver-
pariani Imp. Rom.
- 14^a b. Krees, Dr. Paul: Utrum Josephus fuerit Peda-
marius. 2 Exempl.
15. Locherus, Christianus: De fundamento legum natura-
lium contra mathematicam Euripidis.
16. Schroederus, Christophorus Jacobus: De rusticis condi-
tione claris
- 17^a b. Schroederus, Joh. Christianus: De curatore feudi
3 Exempl. 1707, 1715 & 1741.
- 17^d. Strogatus, Dr. Martinus: De iusticiis.
18. Strogatus, Dr. Philippus: De argumentis legum
causae formandis

1707.

19^{tes} Heugtius, Jo. Philippus: De possessione trans-
missa. 2. Imp. 1707. - 1758.

20. Heugtius, Jo. Philippus: De vera jurisjuris
in litteris indole et natura

Hier 2. num. 15. 46

9
GUIL. HIERONYMUS
BRUCKNER D. 1767, 5

PANDECTARUM PROF. PUBL.
CURIE PROVINCIALIS
FACULT. JURIDICÆ ET SCABI.
NATUS ASSESSOR
COLLEGII JURIDICI h. t. DECANUS

6

DE
CONCILIO ERF-
FURTENSI,

cujus in Jure Canonico c. 2. caus. 15.

*qu. 4. fit mentio,
occasione*

TEMPORIS QUADRAGESIMÆ,
ET
LECTIONIS CURSORIÆ,

Clarissimo summorum in Jure Honorum
CANDIDATO

DN. JOHANNE GOTTLIEB GOESING,
GÖRLICENS.

ad d. XI. Aprilis M DCC VII.

In Auditorio Juridico habendæ,
PROGRAMMATE HOC INAUGURALI TRACTAT.

JENÆ, LITERIS MULLERIANIS.

KÖNIGLICH
UNIVERS.
ZVHALIE

GUIL. HIERONYMUS
BRICKNER D.
PANDACTARIUM PROE. PUBL.
CHIEF. PROINCIALIS
FACULT. IURIDIC. ET SCAB.
NATUR. ASSessor
COLLEGIJ IURIDICI in DECANUS


CONCILIO ERRE
HURTSI

in fine Canonico c. 2. cap. 15.
p. 4. h. 1. 1. 1.

TEMPORIS QVADRAGESIMAE
LECTIONIS CURSORIA

Christoph. Jannowitz in fine Librorum
CANDIDATO
DN. JOHANNI GOTTLIEB GOESING
GARLICENS.

In Actibus Iudicio Librorum
PROGRAMMATE ERG. IN HONORATI TRACTAT
JEN. A. LITERIS MULLERIANIS





Argissimam disse-

rendi materiam suppeditat *l. fin.*
C. ad Sc. Maced. a Candidato
nostro, pro Cynosura Lectionis
suae Cursoriae selecta, in cujus
initio agitur de nobili ratiha-
bitionis doctrina, quam inter
alios egregio tractatu exposuit,

& maxime per exempla illustravit insignis J. C. H. Hal-
lensis, variis in publicum editis scriptis celeberrimus
B. Dn. *Johannes Christophorus Heroldus*. Spicilegium
illius doctrinae jam exhiberem, & sicuti ratificatio saepe
actum, alias ab initio invalidum, firmat, & ex postfa-
cto robor illi addit, ita optimam nactus occasionem
ostenderem, quantum ab aequitate ratihabitionis re-
cederet, & rationi naturali non adeo conveniret re-
gula Catoniana, peculiarem in Pandectis sortita titu-
lum scil. 7. lib. 34. & his verbis efferi solita: *Quod*
ab initio, conditi testamenti tempore, fuit inutile, id ex
postfacto non convalescit; pariter & illa regula tradi-

ta in l. 29. de R. 7. Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere; nisi tempus Quadragesimæ, in quo jam devotio Ecclesiæ occupatur, aliud thema, Lectori forte gratius, suggereret tractandum. Ad illud invitavit me canon. 2. caus. XV. qu. IV. desumptus e Concilio Erfurtensi, in quo inter alia præcipitur, ut tempore Quadragesimæ quiescant controversiæ forenses, nec citentur ad judicia litigantes. Et quoniam textus hic, si recte memini, in toto Jure Canonico solus & unicus est, qui mentionem facit urbis aut loci alicujus nostræ Thuringiæ, (ceu etiam Recessus Imperii Erfurtenensis de anno 1567. inter eos, qui extant hodie, forte unicus est, in Thuringia nostra conditus, quamvis alia adhuc Imperii Comitatus Erfurti fuerint celebrata) non temere quis mihi, patria Erfurtenensi, vertet vitio, si textum illum occasione temporis sumsero explicandum. Inscriptio citati canonis hæc est: *Ex concilio apud Erphesfurt habito præsentis Regis Henrico.* In veteribus exemplaribus, præsertim Glossatis, imo eleganti Plantiniano, quod Antverpiæ prodit anno 1573. pro Erphesfurt scriptum invenimus, *Erphesum*; sed postquam summus Criticus & Jurisconsultissimus Archiepiscopus Tarraconensis Antonius Augustinus in tractatu de *Emendatione Gratiani lib. 1. Dial. 3.* sub finem notavit crassum illum errorem, & genuinam lectionem restituit e primo Decreto- rum Collectore *Burchardo*, secuti ipsum sunt Correctores Romani a *Gregorio XIII.* Pontifice constituti. *Ivo* in Decreto suo pro *Erphesfurt* habet *Ersfbort*, ubi Anto-

Antonius Augustinus cit. loc. addit: *non sine mendo.*
 Sed mendum nullum adest. *Erffurtum* enim etiam,
 hodie *Effordia* dicitur; non igitur *Ivo* mendose scripsit
Erffbord, vel quod idem *Erffort*. Cur *Burcardus* ex-
 presserit civitatis nomen *Erpbesfurt*, non autem, uti
 postea pronuntiatum est, & hodie pronuntiatum, *Erff-*
furt vel *Erffort*, expendi meretur. Statuit Dn. *Gu-*
denus in *Historia Erffurtensi* l. 1. n. 1. p. m. 3. quod *Erff-*
fordia primum nominata fuerit *Gerfurt*, a *Gera* (flu-
 mine quod transit Erffurtum) & Germanico voca-
 bulo: *Furt*. Hæc sententia admodum speciosa mihi
 quoque probaretur, si antiquus Autor allegari posset,
 qui pro *Erffurt* scripsisset *Gerfurt*. Et licet vulgus
Erffurtensium pronuntiando valde corrumpat nomi-
 na & voces, non tamen literam *G* ab initio facile
 omittit; nec ibi audies, ut nominantes loca vicina:
Gispersleben, *Gebesen*, *Gamstet*, *Gottmanshausen* &c.
 vel semel dicant: *Ispersleben*, *Ebesen*, *Amstet*, *Ott-*
manshausen. Non possum igitur subscribere Dn. *Gu-*
deni opinioni, quando *Bonifacium*, qui etiam in epi-
 stola quadam ad *Zachariam* Papam adhibuit nomen
Erpbesfurt dict. lib. 1. n. 3. p. m. 12. & 13. sic corrigit:
Verum quis non ignoscet Apostolo Germanica lingue tyro-
ni, si nomina locorum propria non accurate dixit? Diu
 enim *Bonifacius* vixit *Erffordia*, annis in ea erigere
 sedem Episcopalem, ut latere ipsum non potuerit,
 quomodo urbs illa scribendo exprimi debuerit. *Lam-*
bertus quoque *Schaffnaburgensis* ad annum Christi
 1073. ubi de Concilio *Erffurtensi* quadam refert, &
 quem

quem locum *Baronius* in Annalibus ad illum annu-
n. 3. adducit, *Erphisfurd* scriptum reliquit. Et sic
 cum antiqui autores *Bonifacius*, (quo vix antiquior
 adferri potest, qui *Erffurti* fecit mentionem) *Burchar-*
dus, *Ivo*, *Lambertus* & *Gratianus* scripserint, *Erphes-*
furt, vel *Erphisfurd*, (quod idem est ac *Erfsfurt* vel
Erspford) traditio *Erffurtensium*, quod urbs nomen
 acceperit a conditore *Erf* (quale nomen adhuc hodie
 gerit nobilis *Thuringiæ* familia) mihi tamdiu arridet,
 donec e vetustis scriptoribus alia sententia probabi-
 lior reddatur. Concilium apud *Erphesfurt* (vel *Erff-*
furti) habitum est anno 1073. presente Rege (Impe-
 ratore) *Henrico IV.* Varia quibus obrutus sum, ne-
 gotia non permittunt, ut scriptores *Henrico IV.* Im-
 peratori coævus & Conciliorum Collectores evolvam;
 valde quoque dubito, an omnia hujus Concilii *Erff-*
furtensis Decreta extant apud ullum Autorem, aut in
 Tomo aliquo Conciliorum *Nationalium*. Pauca ta-
 men referam de hoc Concilio. *Henricus IV.* Impe-
 rator divortium, quo ab uxore *Bertha* separaretur, &
Sigefridus Elector *Moguntinus* decimas *Thuringiæ*
 anxie affectabant. Ut igitur alter alterius deside-
 rium expleret, & manus quasi manum lavaret, mutuam
 operam promiserunt. Convocati *Erffurtum* com-
 plures *Episcopi*, *Abbates*, & *Clerici*, ubi *Cæsar* non-
 quidem proposuit desiderium in Concilio, *Electo* ta-
 men *Moguntinus* valde urfit decimas. Sed ne vi-
 deretur utilitatem solum spectare, capita nonnulla
 exhibuit, negotium *Dei* propius concernentia. In-
 ter illa decretum conditum, quod non debeant se-
 cula-

cularia negotia in iudiciis tractari diebus certis, Dec
 & jejunio sacris. Hoc est decretum relatum in c. 2.
caus. 15. qu. 4. & a me postea exponendum. Obtinuit
 tunc Elector Moguntinus, quod voluit, variis artibus
 usus, potissimum vero viribus & potentia Impera-
 toris subnixus, brevi tamen post perdidit iterum de-
 cimas. vid. *D. Gudeni Hist. Erf. lib. 1. cap. 7.* Mul-
 tum invehitur in Concilium illud Baronius ad an-
 num Christi 1073. quod n. 3. *palliatum latrocinium,*
 n. 7. *militarem potius quam sacerdotalem conventum,*
 n. 8. *latrocinium Henricianum* vocat. Sed quæ ratio
 est talis indignationis, cum tamen decimarum cau-
 sa, hoc Concilio promota, clericis tam grata sit, &
 accepta? Refert eam Baronius *d. l. n. 7.* allegans
 verba Lamberti: *Jamque in eo res vertebatur, ut*
Thuringi, improbata Synodo, sedem Apostolicam appella-
rent. Sed Rex sub attestatione nominis divini affir-
mabat, se in eum, si quis id presumpsisset, capitali
sententia animadversurum, & omnia, quæ ejus essent,
usque ad internecionem dissipaturum, clademque ejus
diei multis postea seculis non abolendam. Et n. 8. *Tum*
Rex sciens haud bene placitura Romano Pontifici, quæ
gesta fuerant, sub interminatione gratiæ suæ utrique
Abbati (Fuldensi & Hirsfeldensi) præcepit, ut neque
per seipsos neque per nuntium, neque alio quovis modo
pro infumulanda Synodo Apostolicam sedem interpellarent.
 Verba hæc sunt Lamberti, quibus suam exigentiam
 subjicit Baronius n. 7. *En quales Reges, qui Apostolicæ*
sedis jurius derogant? quorsum vero ipsum ista perdu-
xerint omnibus manifestum, in exemplum factus Rex
 Apo-

Apostata Schismaticis, & hereticis Regibus, qui appellationem ad sedem Apostolicam Henriciana heresis labe conpersi detuerunt. Juxta hæc Baronii verba Henricus IV. Cæsar in Concilio Erfurtensi primus stetit, ad Pontificem Romanum in causa ecclesiastica, qualis decimarum esse creditur, non esse appellandum, quam sententiam Cardinalis vocat *heresim Henricianam*, & n. 13. *heresim Politicorum, Principibus omnia tribuentium, & sacra quoque eisdem nefarie subijcientium.* Incidit Henricus IV. in tempus, quo Papæ Romani suas prætensiones, præsertim contra Principes seculares, ad summum perduxerunt. Illo ipso enim anno, quo Synodus Erfurtensis fuit celebrata, scil. 1073. Pontificatum Romanum adeptus est notissimus Gregorius VII. cujus clavibus fasces suos tandem submittere debuit Henricus IV. & qui verbis pariter & factis defendere sustinuit: *absolutissimum esse Papæ Imperium in temporalia & spiritualia, in Imperatores, Reges, quos posset deponere, in Mundum univrsam, in Synodos, Episcopos, Conscientias, uti loquitur & pluribus id confirmat Frid. Spanbemiuss in Introduct. ad Hist. Sacram secul. XI. cap. V. n. 3.* In exemplari Juris Canonici Pithoeano, quod primum Lutetiæ Parisiorum, deinde Lipsiæ prodiit, verbis inscriptionis: *presente Rege Henrico*, additur: *an. 932. in Germania*; idem quoque annus exprimitur in Glossario Caroli du Fresne in voce: *bannire*, ubi quoad phrasin, *ad placitum bannire*, notatur: *in Concilio Eypfordiensi an. 932. c. 2.* sed in numero annorum subest error, quia, ut supra fuit moni-

monitum, Concilium Erfurtenſe præſente Rege Henrico non anno 932. ſed 1073. fuit celebratum. Verba canonis, e Concilio Erfurtenſi deſumpti, hæc ſunt: *Placita ſecularia Dominicis diebus vel aliis præcipuis feſtis, ſeu etiam in his diebus, in quibus legitima jejunia celebrantur ſecundum canonicam conſtitutionem, minime fieri decernimus. Insuper etiam Sancta Synodus decrevit, ut nulla judiciaria poteſtas licentiam habeat, ſua autoritate Chriſtianos ad placitum bannire in ſupra dictis diebus, id eſt, ſeptem dies ante Natalem Domini uſque in octavas Epiphaniæ, & a Quinquageſima uſque in octavas Paſche, & ſeptem dies ante natiuitatem Sancti Jobannis Baptiſte, quatenus adeundi Eccleſiam, orationibusque vacandi liberius habeatur facultas.* Per placita innuuntur decreta, a publicis perſonis, præſertim in judiciis promulgata vid. Carol. du Fresne in cit. *Gloſſario*, voce, *Placitum*; forte ideo, quia vota in judiciis ac conuentibus publicis ab aſſeſſoribus ferebantur per verbum, *Placet*, & ſecundum majora fiebant Decreta. Phraſi illa: *ad placitum bannire*, idem notat, ac publice citare & vocare aliquem in iudicium, poſtquam talis citatio & vocatio aſſeſſoribus iudicii placuit & probata eſt, unde bannum ſignificat vocationem aut conuocationem publicam, vid. du Fresne in citato *Gloſſ.* vocibus: *bannum* & *Bannire*; arbitror etiam ſalvo meliori aliorum iudicio, quod vocabula Gallica, *Ban* & *Arriere-ban* das Aufgeboth und letzte Aufgeboth des Adels ſo von dem Könige in höchſter Krieger Noth beſchiedet / ab illa ſignificatione antiqua banni veniant. His obſervatis ſenſus canonis haud dubie cuius erit obuius, ſed jam ſpectabimus rem ipſam. Certa de-

terminantur tempora, quibus cessare debent actus
 judiciales, ut Christiani possint frequentare tem-
 pla, & melius vacare precibus cultuique divino.
 Tempora sunt (1.) Dies Dominici (2.) præcipua fe-
 sta (3.) Dies legitimorum jejuniorum (4.) Septem
 dies ante Natalem Domini usque in Octavas Epi-
 phaniæ (5.) Septem dies ante nativitatem S. Johan-
 nis Baptistæ (6.) a Quinquagesima usque in Octa-
 vas Paschæ. Jam tempora isthæc breviter considera-
 bo, an & quatenus ordinatio Concilii Erfurten-
 sis circa illa conveniat cum aliis veterum constitutio-
 nibus, potissimum vero tempus Quadragesimæ, quod
 indicatur per verba: *a Quinquagesima usque in Octavas
 Pasche* expendam. Quoad (1.) dies dominicos, cla-
 ras habemus Imp. constitutiones in l. 2. l. 3. & l. 11.
 §. 1. C. de feriis, quod illis diebus quiescere debeant
 actus judiciales. (2.) Præcipua festa; Etiam l. ult. pr.
 C. cod. statuitur, quod *dies festi altissima majestati
 dedicati non debeant voluptatibus occupari nec ullis
 exactionum vexationibus profanari*; ubi per exactionum
 vexationes simul intelliguntur actus judiciales,
 quibus vexæ & molestiæ creantur litigantibus. Utrum
 Concilium Erfurtense omnia respexerit festa, an
 saltim, ut verba indicant, præcipua, aut, uti lex ci-
 tata loquitur, altissima Majestati dedicata, judicent
 alii. (3.) Dies legitimorum jejuniorum; quatuor an-
 ni temporibus legitima observantur jejunia, scil. pri-
 mu in prima hebdomada quadragesimæ, secundum in
 hebdomada Pentecostes, tertium plena hebdomada
 ante æquinoctium autumnale, quartum plena hebdo-
 mada ante Natalem Domini, de quibus jejniis fusius
 agitur *distinct. 76.* per aliquot *canones*, (quorum te-
 norem

norem fortasse respexerunt Patres Concilii Erfurtenſis in verbis: *in quibus legitima jejunia celebrantur ſecundum canonicam conſtitutionem*, ut hæc verba: *ſecundum canonicam conſtitutionem*, referantur ad priora: *in quibus legitima jejunia celebrantur*, & uno commate cum his ſint includenda, non ad ſequentia ſpectent: *minime fieri decernimus*) & dicitur quidem in *c. 1. diſt. 76.* a Calixto Papa illa quatuor temporum jejunia eſſe introducta, ſed falſo, uti docet David Blondellus in *Pſeudo-Isidoro p. 256. conf. Caſp. Ziegl. Inſt. Jur. Can. lib. 1. tit. 24. §. 6. in not. ad verba: Et demum Sabbatho p. m. 158. A quatuor temporibus illis jejuniorum descendit nomen Calendariorum: Quatemper, quod rectius ſcriberetur: Quatemper, vel, Quatempor. (4.) Septem dies ante Natalem Domini uſque in Octavas Epiphaniæ; idem ſtatuitur a Theodoſio Imp. in *l. 2. C. de feriis*, quod *ſeptem dies, qui præcedunt, Et ſeptem, qui ſequuntur Natalem Domini Et diem Paſcha, ſine ſtrepitu judicii obſervari* debeant. (5.) Septem dies ante nativitatem S. Johannis Baptiſtæ. In *c. 4. X. de feriis* dicit Clemens III. Papa, quod *canonica Statuta declarent, nuptias tribus hebdomadibus ante feſtum nativitatis S. Johannis Baptiſtæ minime celebrandas eſſe.* Ubi per verba: *Canonica Statuta*, procul dubio reſpicit id, quod in *c. non oportet 10. cauſ. 33. qu. 4.* diſpoſitum reperitur. In Concilio vero Saleguſt. præcipitur, quod 14. diebus ante feſtivitatem S. Johannis nuptiæ non ſint permittendæ. Ex aliis quoque locis a Gonzalez in Comment. ad *c. 4. X. de feriis*, ad verba illa: *Ante feſtum B. Johannis*, adductis colligimus, olim quasdam Eccleſias dies nonnullos, feſtum S. Johannis immediate præcedentes, ſacros habuiſſe, ut in illis Chriſtiani jejunare debuerint,*

rint, nec etiam nuptias celebrare potuerint; unde Patres Concilii Erfurtenſis fortalſe occaſionem ſumferunt, ut ſeptem diebus ante feſtum S. Johannis juſtiti-um & ceſſationem ab actibus judicialibus eſſe viderint. An hodie ullibi tale juſtiti-um obſervetur, viderint alii. (6.) A quinquageſima uſque in octavas Paſchæ. Hoc eſt tempus, quod vocant Quadrageſimæ, in memoriam Paſſionis Domini ſacrum habitum. Dignum enim Eccleſia judicavit, ut certo anni tempore recoleretur infiniti beneficii, per Paſſionem Salvatoris nobis parti, memoria. Et quoniam Moſes *Exod. 34. v. 28.* & Elias *1. Reg. 19. v. 8.* & ipſe Chriſtus *Matth. 4. v. 2.* per 40. dies jejunarunt (qui tres in glorificatione facta in monte Thabor convenerunt, locuti de exitu h. e. paſſione & reſurrectione Domini *Luc. 9. v. 31.* qui ſubl-iori actui teſtes interfuerunt tres Apoſtoli Petrus, Jacobus, & Johannes *v. 28.* quos adhibuit quoque Dominus teſtes ſua contriſtationis maximæ *Marc. 14. v. 33.*) Eccleſia in multis locis olim tot dies deputavit celebrando jejunio, ut per hoc Chriſtiani melius prapararentur ad conſiderationem paſſionis Dominicæ. Non idem tamen tempus Eccleſia ubique obſervavit, uti docet *Socrates lib. 5. c. 22.* & *Sozom. lib. 7. c. 19.* qui, *Roma tres tantum,* inquit, *ſeptimanas ante paſcha jejunabant; in Illyria, Grecia, Alexandria ſex ſeptimanas, alii ſeptem ſeptimanas, ſed quindecim per intervalla: omnes tamen tempus illud quadrageſimam vocabant: rationem appellationis alii aliam a ſeipſis excogitaram reddentes.* De diverſitate temporis jejunii videatur etiam *Jacob. Gothofr. in Comment. ad l. 4. Cod. Theod. de quaſt.* Hæc cauſa eſt, cur tempus, quod juxta Concilium Erfurtenſe incipit a quin-

a quinquagesima, secundum c. 17. caus. 22. qu. 5. dicatur initium sumere a septuagesima. Sicuti autem non idem tempus statuit antiquitas jejunio, in memoriam passionis Domini celebrando, ita nec eodem modo illud observari voluit. Impp. Gratianus, Valent. & Theodosius l. 4. C. Theod. de question. (quæ est l. 6. in Cod. Justin. de Feriis) sanxerunt: *Quadragesima diebus, qui auspicio ceremoniarum Paschale tempus anticipant, omnis cognitio inbibetur criminalium questionum*; pariter Impp. Valentinianus Theod. & Arcadius l. 5. C. Theod. cod. statuerunt: *Sacris quadragesima diebus nulla supplicia sint corporis, quibus absolutio expectatur animarum*. Ex his legibus cognoscimus, quod seculo quarto, in quo laudati Impp. regnarunt, 40. diebus ante Pascha solum criminales causa quiescere debuerint, & quod reus criminis non potuerit torturæ subijci aut supplicio capitali affici, nisi forte a latrone sumenda fuerit poena, quam etiam quadragesimæ tempore, imo ipso venerabili paschæ die licitam fuisse probat l. 10. C. de feriis. Causæ autem civiles tunc potuerunt quadragesimæ tempore ventilari, exceptis tantum septem diebus pascha præcedentibus l. 2. C. cod. Deinde longius progressa devotio Christianorum, etiam lites civiles quadragesimæ tempore prohibentium, ceu *Aegidius Menagius in Amentitatibus Juris Civilis cap. 26.* egregiis in medium allatis testimoniis id confirmavit, qui omnino evolvi & legi meretur, ubi p. m. 151. testatur inter alia: *Similiter hodie in Senatu Parisiensi quatuor ante 8 octo post Pascha diebus cause non orantur. Sed consuetudinem alteram reos non damnandi neque litigandi Quadragesimali tempore, insuper habemus. Imo in Senatu Parisiensi nullo alio tempore plures, cum civiles tum criminales, expediunt-*

pediuntur lites & c. *Clarus* quoque *lib. 5. sent. §. fin. qu. 50. n. 3.* dicit, si contra processum criminalem exceptio nullitatis opponitur, quoniam tempore Quadragesimæ fuit formatus aut continuatus, illam exceptionem hodie non attendi, cum *l. 6. C. de Feriis* non observetur. Notat *Gonzalez* loco supra citato, quod olim in Ecclesia tres fuerint quadragesimæ, una ante Domini Nativitatem, quæ hodie appellatur Adventus, altera tempore passionis Dominicæ ante festum Paschatos, tertia ante festum S. Johannis; sed quomodo ultima hæc accurate & semper vocari potuerit Quadragesima, non liquet. Male vero in *c. 10. caus. 33. qu. 4.* statuitur, quod conjuges, juncti uno ex his tribus temporibus separari debeant, quasi homo solvere possit vinculum a Deo firmatum ex causa tam levis momenti. Sic evolvimus sensum canonis, e Concilio Erfurtensi desumpti, ut nihil relictum videri queat, ad pleniorum verborum & rerum ejus cognitionem faciens. Unicum adhuc restat excutiendum, quare Clerici in Concilio illo, de Feriis Juridicis in foro seculari observandis, decretum fecerint, cum tamen talis potestas non Clericis, sed seculari legislatori competere censetur? Aut, si Clericis jus illud vindicare velis, cur non potius Pontifex quam Concilium tale decretum fecerit? Ad utramque quæstionem facile responderetur, si consideremus diversum temporum statum. Olim Christiani Imperatores non tantum in secularibus, sed & ecclesiasticis gaudebant potestate ferendi leges, quales plurimas deprehendimus in *Codice & Novellis*, imo integros titulos habemus statim sub initium Codicis: *de Summa Trinitate, de SS. Ecclesiis, de Episcopis & Clericis, de Episcopali Audientia, de hæreticis & c.* Nullus quoque illo tempore litem movit Imperatoribus, quasi falcem mitterent in alienam messem. Successu temporis magna contigit mutatio, ut causæ, quas hodie vocamus ecclesiasticas, & Clerici prorsus eximerentur potestati & jurisdictioni secularium Imperantium, dum Status in Statu formaretur h. e. peculiaris Resp. Ecclesiastica in ipsa Rep. constitueretur. Saepè tamen Concilia convocabantur Generalia (œcumenica) & specialia (Nationalia) in quibus negotia per vota majora expediebantur.

Sicuti

Sicuti autem in Politicis axioma celebratur: quod, ubi defunt Comiticia, ibi plena sit Monarchia, ubi vero Comiticia frequentantur, Resp. censeatur mixta, ita, quoniam in Rep. Ecclesiastica Concilia sunt instar Comitiorum, Pontifices Romani, qui puram affectabant Monarchiam Ecclesiasticam, tandem rem eo redegerunt, ut negotia majoris momenti non amplius in Conciliis sed a Papis deciderentur. Ex his jam cognoscimus, quare de Feriis & Festis observandis olim Christiani Imperatores leges fecerint, (uti hoc ex *iii. Codicis de Feriis* manifestum est) postea Clerici hanc potestatem in Conciliis sibi arrogaverint, & Patres Concilii Erfurtenfis exercuerint, tandem Pontifices Romani (ceu ex *iii. X. de Feriis* apparet) eam sibi vindicaverint. Accedamus nunc ad Clarissimum Candidatum

DN. JOH. GOTTLIEB GÖSING,

ejus patria est Görlitium ad Nissam, celeberrima Lusatiae superioris civitas, in qua lucem hanc adspexit Anno MDC LXXXI. mense Octobri, Patre genitus Dn. JOHANNE GOTTFRIED GÖSING, Hæreditario in Rauschvalda, Senatore apud Görlicenses spectatissimo, in tenera nostræ ætate rebus humanis exempto; Matrem adhuc supersitem colit ANNAM MARIAM, ex gente FÖRSTERIANA mercaturis clara oriundam, Nobilissimo Domino FRANCISCO STRAPHINO, Hæreditario in Lisse & Rauschvalda Senatori Görlicensi secundis nuptiis junctam. Sub horum parentum optimorum cura & educatione adolevit, liberalibus studiis bonisque moribus diligenter excoltus. Celebre in patria urbe floret Gymnasium, ejus Professoribus dexterrimis commendatur Juvenis. Præ aliis celebrat deprædicarque lectiones, quas audit, publicas Præclarissimi Gymnasii Rectoris Dn. M. SAMUELIS GROSSERI, & privatissimam informationem præstantissimi Viri Dn. CHRISTIANI HAUFFII, Gymnasii ProRectoris. Bona horum gratia post aliquot annos dimissus, dignusque altioribus studiis judicatus Lipsiensem Academiam Anno MDC CII. adiit, ubi primum Philosophiæ sedulam operam navavit, sectatus potissimum in hoc studio Excellentissimi Dn. GODOFREDUM OLEARIIUM PP. & Theol. Licentiatum; in juris
autem

§§ (o) §§

autem scientia haurienda elegit celeberrimos Jctos Dn. LÜDERUM MENCKENIUM PP. Dn. GEORGIUM BAYERUM & Dn. RUSSELIUM; nec silentio prætereundus Dn. Advocatus KLEPPERBEINIUS, cujus privatisima usus est institutione. Per triennium Lipsiæ substitit, & sub abitum acceptavit Notarii Publici munus, a Dn. GUSTAVO CHRISTIANO HAPPIO, Serenissimi Principis Schwvarzburgici Consiliario Intimo, & Comite Palatino Cæsareo liberaliter collatum. Desiderio deinde flagavit nostram visitandi Salanam, quam anno MDCCV. d. XIX. Maji ingressus est, sceptræ Academiæ tunc gerente Venerando Senæ, Magnifico Dn. D. ADRIANO BEIERO Jcto & Antecessore famigeratissimo. E numero eorum, qui Jura hic docent, & quidem Professorum selegit maxime Consultissimum Dn. D. SCHRÖTERUM, privatorum autem Prænobiliss. Dn. D. HERTELIUM, Curiæ Provincialis Advocatum Ordinarium, qui Cursum Juris in gratiam juniorum Dominorum Baronum DE LYNCKER instituit, & Nostrum quoque admisit Auditorem. Cum jam finis instet vitæ Academiæ, absque testimonio publico ad suos redire indecorum ratus, Nostram Facultatem submisit rogavit, ut, quid hætenus in studio Juris præstiterit, consvetis Examinibus indagaremus. Annuimus laudabili ejus desiderio, & proposuimus ipsi textus ex utroque Jure desumptos, quos non tantum decenter exposuit, sed & quæstiones occasione illorum motas erudite resolvit, ut ipsum communibus suffragiis dignum judicaverimus, quem in numerum Candidatorum Juris reciperemus, & ob juris notitiam pariter atque morum sva vitæ bonis omnibus commendaremus. Superfunt adhuc specimina publica edenda, & primùm Lectio Curatoria ad legem supra dictam habenda. Ut igitur in crastinum huic actui Magnificus Dominus ProRector, Patres Academiæ Venerandi, Doctores, Licentiati, Doctorandi, Magistri, Hospites, & omnium Facultatum Studiosi Optimi interesse velint, decenter rogantur P. P. Jenæ d. X.

April. MDCCVII.

(L. S.)

Jena, Diss., 1707 A-V
X 2396251

ULB Halle

006 205 95X


3



vd. 12







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

9

D. 15

Hier. 2. num. 15. 46
45GUIL. HIERONYMUS
BRUCKNER D. 1707, 5PANDECTARUM PROF. PUBL.
CURIAE PROVINCIALIS
FACULT. JURIDICAE ET SCABI-
NATUS ASSESSOR
COLLEGII JURIDICI h. t. DECANUS

6

DE
CONCILIO ERF.
FURTENSI,*cujus in Jure Canonico c. 2. caus. 15.**qu. 4. fit mentio,
occasione*TEMPORIS QUADRAGESIMAE,
ET
LECTIONIS CURSORIAE,*Clarissimo summorum in Jure Honorum*
CANDIDATODN. JOHANNE GOTTLIEB GOESING,
GÖRLICENS.*ad d. XI. Aprilis M DCCVII.*In Auditorio Juridico habenda,
PROGRAMMATE HOC INAUGURALI TRACTAT.

JENÆ, LITERIS MULLERIANIS.

